Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 583
Quelle:
Copyright:

virginem, in quo ſatis acerbum illud Elogium funebre *Rufini* inimici in *Sicilia* defuncti: *Scorpius inter Enceladum et Porphyrium Trinacriae humo premitur*. Reſtituit feliciter hoc loco *Vallarſius* et *Maffeius Porphyrionem* pro *Porphyrio* T. V. Opp. *Hieronymi col.* 3. At mox initio *Expoſitionis* relictum a *Martianaeo* insigne σφαλμα non ſuſtulere: *a duodecimo anno Joſiae Regis Juda*. Repono e Codice noſtro: *a duodeuiceſimo*, conſentientibus IV. *Reg.* c. 22. v. 3. et II. *Paralip.* c. 34. v. 8. et hebraica veritate. Ceterum nec iſte ſuis mendis caret, et quamvis clauſula miniata dicat: *Explicit liber ſancti Jeronimi presbiteri In ezechielem prophetam*, a verbis tamen: *et multa diuinarum ſcripturarum ſacramenta teſtantur, et neceſſe eſt* — — extrema deſunt. Ceterum Πεφικοπαι Prophetae per decurſum literis majuſculis deſcriptae ſunt.

CCC.

R. 3264. Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 189. f. maj. per duas columnas luculente et pulcre ſcriptus, minioque diſtinctus ad D. *Hieronymum* pertinet, et exhibet I. ejus *Explanationem in Danielem Prophetam*, cujus praefatio hic iis verbis terminatur: *ſicut iuxta LXX^a interpretes in titulo eiusdem belis fabulę ponitur*. Dein Rubrum: *Explicit prologus. Incipit expoſitio Sancti Jeronimi presbiteri ſuper danielem prophetam. prout potuit breuiter explanauit. ut eo facilius ſecreta illius legentibus panderentur quo commatico ſermone dictata uiderentur. Hoc opus domino adiuuante ita exorſus eſt*. Vides Librarium interrupiſſe Praefationem deceptum iis, quae ſequuntur: *Homo quidam erat ſacerdos nomine daniel* &c. quibus utique continuatur Praefatio usque ad verba: *aliarum gentium literis contineri*, Propheta non ita exordiente, ſed ſic: *Anno tertio regni Joakim* &c. *Commaticum Sermonem* ἀπο τȣ κομματος inciſum intellige, quod Textus prophetici particulae explanationem interſtinguunt. Ceterum omnia integra, ut edit. *Vallarſ.* T. V. *col.* 617.

II. *fol.* 36. p. 2. *Incipit prologus ſancti Jeronimi presbiteri in Oſee prophetam*. Nempe: *Si in Explanationibus omnium prophetarum* &c. Sequitur ipſa Explanatio rite in III. *Libros* diſtincta, ſed Praefationes L. II. et III. ab ipſo Commentario non diſtinguuntur. In edit. *Vallarſ.* T. VI. *col.* 1.

III. *fol.* 91. p. 2. *Incipit prologus Sancti Jeronimi presbiteri in Abdiam prophetam*. Ita: *Cum eſſem paruulus* &c. ſequente Explanatione. T. *cit. col.* 359.

IV. *fol.* 100. *Incipit prologus in Micheam prophetam*. Ita: *Micheas in quem nunc* &c. Mira hic confuſio. Poſt verba: *liberis a parentibus imponuntur*, quae Prologum in Editis T. *cit. col.* 431. terminant, continuat Codex: *Nam quod dicunt homines invidi* &c. Atqui haec, et quae ſequuntur, partem alteram Prologi in L. II. *Michaeae* Edit. *col.* 479. conficiunt.

Non